

p. 1060. Sed nimium extendit CVDWORTHVS Pauli similitudinem. Putat, corpus sepultum spectandum esse, uti semen in agro proiectum; *Vti Deus cuius semini suum nouum dat corpus, uti uoluit, sic etiam Deum cuius corpori sepulto daturum esse nouum corpus, quando illud resuscitat.* Aduertendum uero est, semina per naturam progerminare secundum uoluntatem Dei, quam in creatione mundi declarauit: *Dixit Deus, proferat terra gramen, herbam, quae seminificet semen, secundum speciem suam* Gen. I, II. Hoc uoluit Deus in prima creatione, et secundum hanc uoluntatem ex semine procreantur folia et aristae, in quibus sunt plurima semina. Sic Deus etiam cuius corpori sepulto dabit corpus, uti uult, uel uti uoluntatem suam reuelauit, uid. §. 8. Reuelauit autem Deus, se resuscitaturum esse mortua corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum suum in nobis, Rom. VIII, II. Paulus utitur simili de grano, ad demonstrandam possibilitatem et ueritatem resuscitationis corporum nostrorum, non uero ad definiendum modum, quo resuscitabimur. Multa sunt in isto simili, quae non consonant, u. g. Deus per naturam efficit, ut ex grano procreantur aristae; sed per naturam nostra corpora non resuscitantur. Vnum granum profert plurima grana; sed nostrum corpus unum resuscitatur. Granum in terra multam attrahit materiam, ex qua fiunt folia, aristae cum pluribus granis; sed mortua corpora nullam attrahunt materiam. Doctissimus CVDWORTHVS haec scripsisse uidetur, ut platoniorum uehicularum animae aetherea suis sub uerbis absconderet. *Quare quod Philosophi ueteres, inquit, animis corpore mortali seclusis attribuunt corpus, quodque diuini libri resurrecturum esse tradunt, utrumque est σῶμα αἰθέραρον et αἰδίων,*

αἰδίων,